



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 87. Decii Azzolini Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII. A. C. 1689. fusus, S. R. Imperii Protector declaratus est, ob morum gravitatem, comitatem, Justitiam, eruditionem, constantiam. veritatis amorem, aliasque præclaras animi corporisque dotes ab omnibus maximi habitus. Tandem vero Romæ die decima tertia Februarii rebus humanis valedixit, anno ætatis suæ sexagesimo septimo.

§. LXXXVII.

Decii Azzolini Cardinalis extrema.

*Morc. Hist.
Priorat. vit.
della Reg.
Christ.*

Hunc pari mortis necessitate sequebatur Decius Azzolinus patria Firmanus, qui ab ineunte ætate tam humanioribus, quam severioribus scientiis apprime excultus, ex patria sua Laureatus Romam contendit, ubi sub Jacobi Panziroli disciplina ad gravissima negotia dextere expedienda eruditus, eidem in Legationis Hispanæ socium atque Administrum ab Urbano VIII. datus est, ob excelsi ingenii præstantiam, candidos mores, probatamque in omnibus fidem, tam præclaram nominis famam adeptus, ut ab Innocentio X. gravissimis negotiis, & arcanis Principum literis exarandis, necnon arduis Sedis Romanæ causis pertractandis adhiberetur: postea variis, iisque per honorificis æque ac onerosis officiis honora-

noratus, primo *Status*, ut vocant, *Secretarius*, demum Cardinalis nominabatur, quo in munere præ ceteris virtutibus præcipue animi fortitudine & magnanimitate excellens, generoso propriæ famæ, utilitatisque contemptu ab æquitatis femita, nec donis, nec minis aut metu unquam abduci poterat, in una Sedis Apostolicæ fide, servandaque justitia totum suum reponens honorem, utilitatemque. Effulsit quoque in eo rara gratitudo, adeo, ut passim diceretur: *in Azzolino nihil perdi*. Seligebatur etiam ab Alexandro VII. ut negotia, remque domesticam Christianæ Suecorum Reginæ procuraret, a qua ob ejus integritatem, sollicitudinem, & fidem tanti habitus, ut Regina suam testatura gratitudinem paulo ante obitum suum eundem selectissimæ suæ Bibliothecæ, Aulæorum ac statuarum hæredem scriberet: Nec deerant tamen Azzolino inter limpidas blandientis fortunæ undas turbidæ calamitatum, & invidiæ sæces; non raro enim Aulicæ factiones eum summis Pontificibus, apud quos magna valebat gratia, variis calumniis exosum reddere satagebant, ipse vero adversis omnibus major, semper propriis meritis alienas criminationes elusit: tandem vero die octava Junii annos natus sexa-

Sæc. XVII.

A. C. 1689.

Sæc. XVII. sexaginta sex Romæ ex hydropisi de-
A. C. 1689. cessit: Quam immerito autem nullis
 dotibus præclaris præfulsisse, imo serios
 labores abhorruisse, & nonnili varii
 generis oblectamenta quæsiisse, a suis
 æmulis carpatur, luculenter apparet ex
 eo, quod novem, iisque præcipuis Pa-
 trum cætibus summa religione, fide &
 integritate interfuerit, posterisque re-
 liquerit manuscripta quamplurima ad
 utrumque jus spectantia, præter egre-
 gium volumen epistolarum, & plures
 orationes, carmina, atque inscriptiones,

§. LXXXVIII.

Christinæ Suecorum Reginae decessus.

Hode vie de Louis XIV. lib. 46. Larrey t. 2. pag. 108. Jam supra memoravimus, quod Chri-
 stina Suecorum Regina abdicato Re-
 gni sceptro sectæ suæ falsitatem vi pro-
 prii ingenii, acrique S. Scripturæ &
 Patrum studio detexerit, ac fidem Ca-
 tholicam Bruxellis professâ fuerit, inde
 vero Romam profecta hoc anno die de-
 cima nona Aprilis ibidem anno ætatis
 suæ sexagesimo tertio ad immarcessibi-
 lem cæli coronam pia morte evocata
 est. Animam agenti Decius Azzoli-
 nus Cardinalis adfluit, eidemque Sacra
 Ecclesiæ Sacramenta præbuit, firma-
 tamque Divino epulo ejus animam Deo
 commendavit. Vix ullam in Historia
 Foemi-